



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 12. Obitus Marci Barbi, Balvis, & Archimbaldi Cardinalium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

non solum Maurorum imperio, sed etiam Sæcul. XV.
 Mahometana superstitione penitus exu- A.C. 1491.
 lare iussa: unde Ferdinandus & Isabella
 tam pro se, quam suis Successoribus glo-
 riosum *Regis Catholici* cognomentum eme-
 ruerunt, quod ipsis ab Alexandro VI.
 Innocentii VIII. Successore hæreditario
 jure attributum fuit. Hoc quidem no-
 mine non soli Hispaniæ Reges decorati
 leguntur; discimus enim ex Paulo Æmi-
 lio, & Froissardo, idem nomen dona-
 tum fuisse Philippo Valesio Francorum
 Regi ob defensa Ecclesiæ jura, qua
 etiam de causa Galliarum Rex gloria-
 tur titulo *Regis Christianissimi*, & *primoge-
 niti Ecclesiæ Filii*; Rex Poloniæ *Ortho-
 doxi*, Navarræ Rex *Fidelissimi*, ac deni-
 que magnæ Britanniæ Reges conser-
 vant nomen Defensoris Fidei, quod Leo
 X. Henrico VIII. ante schisma adscripsit.
 Refert Spondanus, *olim nomen Catholici Spon. ad an.
 Reocaredo Regi, ob reductam gentem Go- 1492. n. 2.
 thicam ab Ariana hæresi ad fidem Catholi-
 cam in quodam Concilio acclamatum fuisse.*

§. XII.

*Obitus Marci Barbi, Balvis, & Ar-
 cimboldi Cardinalium.*

Hoc anno tres Cardinales rebus huma-
 nis erepti sunt, & quidem primus
 horum erat Marcus Barbus secunda Mar-

Sæcul. XV.

A.C. 1491.

*Spond. hoc**ann. 1491.**n. 9.**Sabellic.**Ann. 10. 1.6.**Dubrav.**lib. 31.*

tii die fati functus, quamvis nonnulli Scriptores ejus mortem solido anno præveniant. Is erat Patruelis Pauli II. Pontificis, a quo etiam anno millesimo quadringentesimo sexagesimo septimo die decima octava Septembris a Sede Vicentina ad sacrum Collegium evocatus est; anno autem supra millesimum quadringentesimo septuagesimo primo ad Aquileiensem Patriarchatum evehctus fuit, atque a Sixto IV. Pauli Successore missus, Legationem obiit in Hungaria, Germania, & Polonia, ut Hungarum atque Polonum de Bohemæ Regno contendentes componeret, quod nec irritò præstitit conatu; hujus enim Cardinalis opera hi duo Reges, depositis utrinque odiis, ad uniendas vires contra Turcas conspirabant. In meriti præmium Barbus Prænestinam Ecclesiam adeptus est, quam etiam dignitatem usque ad extremum vitæ diem tenuit. Eo defuncto Innocentius VIII. Aquilejensis Patriarchatus Sedem Hermolao Barbato, qui Venetorum Senator, ac Francisci Barbati Nobilis Veneti Nepos erat, contulit, extitit is vir æque ingenii præstantia ac animi fortitudine summe commendandus, necnon inter ævi sui eruditos facile princeps.

Alter fuit Cardinalis Balves, qui obscuris natalibus, patre sartore Pictaviensi natus

natus, ad suprema dignitatum Ecclesia-
 sticarum fastigia euectus est. A Joanne ^{Sæcul. XV.}
 Melodunensi Ludovici XI. cliente, cum ^{A C 1491.}
 Viri eximiam ingenii aciem exploratam
 haberet, Regi commendabatur, a quo *Aubery his.*
 non solum eleemosynis præfectus, sed *Cardin.*
 etiam Fecampensem, Beccensem, &
 Rothomagensis. Ovani Abbatias benefi-
 ciario nomine obtinuit, postea ab eo-
 dem Regis ærario præpositus, anno sa-
 luti millesimo quadringentesimo sexage-
 simo quinto ad Ebroicensem Ecclesiam
 nominatus est, qua dimissa Andegaven-
 sem Sedem occupavit, postquam ejus
 Prædecessorem Joannem de Bella valle,
 primum Benefactorem suum de pluribus
 læsæ Majestatis criminibus postulaverat.
 Nec ipsi Joanni de Meloduno pepercit;
 solitis enim artibus suis Ludovicum XI.
 eo induxit, ut Melodunensem anno In-
 carnationis Dominicæ millesimo quadrin-
 gentesimo sexagesimo octavo Lochiæ ca-
 pite plecti juberet. Quatuor ante annos
 a Paulo II. purpuram extorsit supplicante
 ipsomet Rege, qui tamen, perspecto
 Balvis fallaci, ac proditorio agendi mo-
 do, eum in carcerem detrudi præcepit,
 ex quo non nisi anno millesimo quadrin-
 gentesimo septuagesimo nono ad preces
 Juliani Ruverrei Cardinalis, atque in
 Galliis Legati ereptus est. Aquilata li-
 bertate Romam redux ab Innocentio VIII.
 Præ-

Sæcul. XV. Prænestinus Episcopus, ac Marchiæ An-
A C. 1491. conitanæ Legatus renunciabatur. De-
 mum mense Octobri hujus anni Spiritum
 Deo reddidit, annos natus septuaginta
 duos, Romæ in Ecclesia S. Prædixis se-
 pultus, ubi hodiedum illius epitaphium
 legitur.

Auberii hist.
Card.

Ciacon. in
Ins. VIII.

Tertius denique obiit Joannes Arcim-
 boldus Cardinalis, patria Mediolanensis,
 cujus urbis antea Senator, mortua de-
 mum conjuge, Novariensis Episcopus
 nominatus fuit, postea anno supra mille-
 simum quadringentesimo septuagesimo
 tertio ad Purpuratorum Senatum voca-
 tus, ab Innocentio VIII. Archiepiscopi
 Mediolanensium Sedi, necnon D. Am-
 brosii Abbatiae præfectus est. Tandem
 Romæ vivis valedixit, & Guidonem Ar-
 cimboldum suum filium in Archipræsula-
 tu Mediolanensi Successorem habuit, ei-
 demque Sedi alius quidam illiusmet Ne-
 pos, postquam viginti quatuor annos
 Novariensem Ecclesiam rexisset, suffe-
 ctus est.

§. XIII.

Aurelianensis Dux a Carolo Rege li-
bertati restitutus.

Jaligny &
Bellefor. hist.
Carol. VIII.

In Galliis Borbonii Ducissa Aureliæ Du-
 cem in custodia detineri, ratum fi-
 xumque habuit, verita, ne libertati affer-
 tus,